...ione populo vtilia, & pro anima-

[illegible]ntatione populo vtilia, & pro anima-

ORATIONES
SACRÆ

Habitæ fer. IV. Cinerum

CORAM

Smo Dno Nostro

CLEMENTE XI.

P. O. M.

ET IN SOLENNIIS

S. ANDREÆ AVELLINI

Ad Em.mos S. R. E. Cardinales

AB ALEXANDRO SALAROLI
Cleric. Regul. Procuratore Generali,
& S. Congr. Indicis Consultore.

Eremitarum Camald.
Montis Regii ad Varsaviam

ROMÆ,

Typis Rocchi Bernabò, MDCCXX.

SUPERIORUM FACULTATE.

Em̃o, ac Rm̃o D.^{no} D.^{no}

FABRITIO PAULUCIO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

Ac Epiſcopo Albanenſi

FELICITATEM.



MIRABITUR *fortaſſe quiſpiam me nullius notæ hominem auſum fuiſſe* EMINENTIAM VESTRAM *graviſſimis tot, tantiſque Apoſtolicæ Sedis Negotiis occupatam interpellare, & eorum*

rum ſtudiorum munus offerre, quæ in literatiſſima Vrbe acriorem judicii, & ingenii limam exigere videntur. Mirari tamen deſinet, ſi humanitatem EMINENTIÆ VESTRÆ *planè ſingularem, cum aliis penè innumeris Virtutibus, præclariſque dotibus conjunctam noverit, quâ omnium animos ad ſe rapit, & amorem, & laudes ſibi conciliat Vniverſorum. Vt enim nihil de inſigni Pietate loquar, qua profuſis ſumptibus, & regali prope Magnificentia Divina Templa inſtauravit; nihil de Doctrinæ præſtantia, quam in Eccleſiaſticis rebus pertractandis ſemper adhibuit; nihil de ſingulari Prudentia, qua tanquam Primus Miniſter,*

& Commentarienſis ſanctioris Conſilii CLEMENTIS XI. Pont. Opt., & Sapientiſſimi Negotia maxima, & graviſſima gerit; nihil denique de Epiſcopali Munere, de Legationibus, aliiſque multis pro Apoſtolica Sede ſuſceptis laboribus; Quis eſt, qui non miretur, maximèque ſuſpiciat admirabilem illam in tot adverſis Conſtantiam, & eandem ſemper tam in adverſis, quàm in proſperis fortiſſimi animi æquabilitatem? Hac profectò laude clariſſimam Majorum ſuorum gloriam armis, & literis, Infulis, & Purpura per omnem terrarum Orbem pervagatam non illuſtravit modò, ſed etiam novo quodam ſplendore

ſuperavit. Hac rarâ ſanè, ac maximâ Virtutis gloria EMINENTIA VESTRA *non modò cæteros, ſed ſeipſum quodammodo viciſſe videtur. Sed ut inſignis modeſtiæ ſuæ rationem habeam, hæc omnia, & alia, quæ in dedicatis epiſtolis alii ſolent attexere, prætereo; obteſtorque, ut pro eximia ſua benignitate paucarum hunc Orationum libellum æquo animo excipiat. Exiguum ſanè, ut video, ac leve munuſculum, & quod tanti Principis Sapientiam, & Dignitatem vix non dedeceat. Verùm cum pluribus titulis ad eam ipſam pertineat, reſtitutionis jure potiùs, quàm doni* EMINENTIÆ VESTRÆ *debetur. Nam quæ*

tri-

tribus annis feria IV. *Cinerum in Æde S. Sabinæ coram* SANCTISSIMO *à me dictæ fuerunt, eas* EMINENTIA VESTRA, *dum Pontificali ritu ut Major Pœnitentiarius rem ſacram perageret, non audivit modò, ſed etiam perhumaniter probavit, ac ſuas quodammodo fecit. Quæ verò de laudibus Divi* ANDREÆ AVELLINI *in Sanctorum Album tunc recèns relati coram* EMINENTISSIMIS PATRIBUS *dicta fuit, ea ſanè peculiari titulo ad* EMINENTIAM VESTRAM *ſpectare videtur, tantoque ſupra cæteros merito, quanto Ipſa præ cæteris ſacram Sanctiſſimi Viri Apotheoſim promovit. Quo ſingulari, maximoque beneficio & me, &*

Universam Cler. Reg. Congregationem ità devinxit, ut plurimis aliis, quæ humanissimè nobis est impertita, coronam imposuisse videatur. Hoc igitur qualecunque munus, quod suum propè est, libens excipiat tanquam gratissimi animi mei monumentum; indulgeatque, ut celebratissimum suum Nomen huic Opusculo prælucens immortale ipsi decus pariat, & ornamentum.

EMINENTIÆ VESTRÆ.

Obsequentiss., ac Obligatiss. Servus

D. Alexander Salaroli C. R.

ORA-



ORATIO

Feriâ Quartâ Cinerum

Habita in Baſilica S. Sabinæ
Anno MDCCXI.

QVi fieri dicam, BEATISSIME PATER, ut cognatum homini pulverem, & hoſpitale immortalis animi, mortale lutum, cum & illud ipſi nobis quotidie objiciamus, & quotannis hoc ipſo

die

die anniverſaria recordatione, inculcet Eccleſia; ità plerique tamen omnes obliviſcamur, ut abeat in vitiorum irritamentum materia ipſa virtutum, atque, ut mortales morituri, ut immortales vivamus? Illud, opinor, unum in cauſa eſt, quod pulverem eum ipſum, qui ſumus, veluti alienum aſpicimus; quodque teterrimum eſt, noſtri pulveris incolæ nobiſcum non habitamus.

Gen. Cap. 2. 7. Enimverò cum *hominem de limo terræ formavit* rerum omnium opifex *Deus*, &, quaſi ignobilitatem patrii pulveris penſaturus, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, ut fieret *in animam viventem* vilis argilla, quid eum voluiſſe

aliud

aliud arbitremur, nisi hominem hoc luto illitum à vitiorum contagione tueri? Quis enim audaci plane voto multa sibi de se audeat polliceri, qui *figmentum* suum norit, & recordetur *quoniam pulvis est*? ex Ps. 102.13 14. Quis item inclusum patrio limo, divinæ imaginem substantiæ, animum nolit à potestate tenebrarum pro viribus vindicare, qui sibi dictum intelligat, *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*? ex 2. ad Corint. 4. 7. Humillimum ferunt ad Nili ripas animal, ubi se bis, Plin. lib. 8. cap. 24. 25. terque in luto volutatum, durato ad Solem limo loricavit, usque adeò Crocodili ridere insidias, ut ultrò in patulum illius os irrepat, corrosisque paulatim visceribus, & hoste

pro-

proſtrato in lucem triumphator exiliat, limo debens quod & vivat, & vicerit. Hac nobis arte certandum eſt, & nativo luto, divinæ mentis particula, quam animo gerimus, protegenda. Horret ſuperbiæ genitor noſtræ vilitatis objectum, quique lutoſæ hominum conditioni inſultans à noſtra ſibi pollicetur imbecillitate victoriam; à noſtra, ſi ſapimus, imbecillitate cædem accipit acriorem.

ad eph. 6. 16. Hac nos induſtria contra *nequiſſimi tela* munimus, quique

S. Petr. 5. 8. *circuit* perpetuò *quærens quem*

Job. 41. 18. *devoret*, & reputat *quaſi lignum putridum æs*, putredine ipſa noſtra proſtratur. Proſtratur inquam? immò verò ipſe ſuâ, quam fabricatus in homi-

nem

nem fuerat; insidiarum mole conteritur. Revocate, obsecro, ad memoriam Statuam illam, quam Nabuchodonosor Rex inter somniandum aspexit. Nostis quanta metallorum varietate fulgeret, quanta superbiret proceritate: sed quid tum? lutulentis innixa pedibus moles, ubi primùm disjecti illi, attritique sunt, tota illico decidit; quodque mirum planè est, tam discolor metallorum acervus sue veluti lucis oblitus unum vilissimi pulveris vultum induit, conversusque est, ut sacræ testantur literæ, *in favillam æstivæ areæ*. Pulvis, pulvis est, in quo ambitiosæ molem spei collocamus, attollimusque: In auro licet dignitates, in argento

Dan. cap. 2. 31.

Ibidem ver. 35.

to divitias, in ære perennitatem, in ferro virium sibi robur quis spondeat: Huic licet, ut ita dicam, fastûs Idolo mortales tam sæpe litent, si pulverem tamen illum, quo nititur, sedula meditatione discutiant, collabetur profectò *Superbia sæculorum*, dumque quid simus aspicimus, quid futuri simus intelligemus; quo fiet, ut quam in nos de nobis ipsis machinam adornaverat, in caput collapsam suum communis hostis experiatur, & doleat; idemque cinis nos quidem faustissimè, illum miserrimè involvat. Atque utinam *cinerem tanquam panem manducantes*, quod serpenti datum fuit in pœnam, *terram comedes*, nostris

ex Isai. 60. 15.

ex Ps. 101. 10 Genes. cap. 3. 14.

ſtris faciamus animis virtutis, atque immortalitatis nutrimentum; quin ipſam Dei Majeſtatem noſtris iraſcentem vitiis, intentiſque adhuc flagellis majora ſupplicia minitantem haud aliter exoremus, quàm cum Abrahamo illud uſurpantes: *loquar ad Dominum meum cum ſim pulvis, & cinis*. Oh incredibilem noſtri pulveris efficacitatem! Oh vim noſtri cineris prædicandam! cujus, ſi cum obliviſci omnino nequeamus, maturè meminerimus, non ipſum modò felicitatis noſtræ hoſtem hac recordatione profligabimus, ſed & ipſum nobis conciliabimus veræ felicitatis Authorem. *Excutere* igitur *de pulvere*, ò Homo, *con-*

Geneſ. cap. 18. 27.

Iſai. cap. 52. ver. 2.

consurge, *sede*. Excutere, ut quod es videas: consurge, ut unde es inde vincas: sede, ut unde viceris, indè immortaliter vivas.



ORATIO

Habita in Æde S. Sabinæ feria quarta Cinerum Anno MDCCXII.

MALE' profectò habitat, BEATISSIME PATER, qui ſecum habitare detrectat; & cum pulveris conditione mortalis ſit, ſuæ tamen non meminit mortalitatis. Cognatum qui ſibi

cinerem, non utì suum, sed
Psalm. 16. 11. utì alienum reputant, *oculos suos statuunt declinare in terram*; non ut originis suæ defleant humilitatem; sed ut *vi-*
S. Mat. cap. 13. ver. 13. *dentes non videant, & audientes non intelligant*. Ut ut enim
Gen. 3. 19. iis inculcet Ecclesia *Pulvis es*;
Psalm. 35. 4. *nolunt* tamen *intelligere ut benè agant*. Pulverem verò eundem quisquis utì suum sedulò meditatur, ipso sibi mortalitatis objectu vitam vindicat immortalem, & iter sibi sternit immortalitatis in morte. Mortis Gymnasium, & Tyrocinium immortalitatis si quis hanc rerum Universitatem appellet, illum ego profectò sapere dixerim. Peropportunum proindè semper existimavi, quod Divi-

nus nos Spiritus monitos voluit, cum *meliùs*, inquit, *est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii: In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit*. Quàm enim pronum est, ut qui mortis imaginem suæ, & jugatum humanæ naturæ pulverem ubique relegit, de immortalitate cogitet comparanda? Planè quicunque in hoc *mortis corpore vivunt*; *habitant*, ut S. olim Jobus ajebat, *domos luteas*, & *terrenum habent fundamentum*. Sicut igitur qui fatiscentem ævo domum incolit, aliam oppidò meditatur, ubi securiùs conquiescat, ita profectò nostri nos ruituri cineris inquilini, cùm

Ecclesiastes 7. 3.

ad Rom. 7. 24.

Job. 4. 19.

ad Hebræos 13, 14. probè intelligamus *non habere hìc manentem civitatem*; quàm facilè *ad futuram inquirendam* desides animos erigemus? Atque utinam paulò diutius rem ipsam contemplari liceat; nihil aliud nobis objicient, & quæ præcesserunt secula, & tota quâcunque patet Natura, nisi nostræ mortalitatis effigiem; splendido scilicet documento, ut, dum in ipsis quod sumus aspicimus, quid futuri simus intelligamus. Enimverò quæ unquam extitit Natio tam rudis, quæ hominum conditio tam sublimis, quæ tam hilaris pompa, cui non perpetua quędam patrii cineris accineret recordatio? Solemne apud Græcos erat, ut Sanctus Petrus Damianus narrat,

rat, cum Imperatores inaugurarentur, inter populorum lætiſſimas voces, Vas ipſis offerre cadaverum oſſibus plenum; ut *oſſa arida* mox futuri *verbum* ſuæ mortalitatis *audirent*. Fuit, fuit hæc, ut S. ait Hieronymus, inter triumphales pompas conſuetudo, ut illa Civium clamoribus Vox obſtreperet, *Memento te eſſe mortalem*. Pendentem in aureo Domitiani cubiculo calvariam quis ignorat? Quis mortis larvam apud Sybaritas convivis objici ſolitam? Quis veterum Philoſophorum placita mortis meditationem appellata? Uſque adeò vel ipſa plena ſuperſtitionis Antiquitas nullam eſſe ad benè vivendum ſalubriorem homini

Epiſt. 17.

Ezech. 37. 4.

Hieron. in proverb. 1. 6.

cogitationem vidit, quàm quæ undecunque in mentem incurrit, & nobis vel audire nolentibus, *cogitate* inquit *Vos esse mortales*. Et sanè, ut una fuit à Principe tenebrarum eripiendę nobis immortalitatis ratio excogitata, mortis nempè memoriam fallaci pollicitatione delere: *Nequaquam moriemini*; sic una est reparandæ, vel dum *in tenebris*, *&* *in umbra mortis sedemus*, immortalitatis ejusdem via, mortis, quem declinare non possumus, vultum irretortis oculis intueri. Quod si, ut Hieronymo authore didicimus, *nihil ita decipit humanum genus, quàm quod dum ignorat spatia vitæ suæ, longiorem sibi seculi hujus possessionem repromit-*

Gen. 3. 4.

Psalm. 106.10.

Epist. ad Cipr.

mittat; excutietur omninò hic error, ſi noſtra nos ſæpè conditio admoneat. *Memento quia pulvis es*. Neque inanem immortalitatis ſpeciem, jactis in altum molibus, aut turpi gloriolæ quæſtu conſectabimur, ſi, quod cunctis mortalibus Jobus, hoc noſter nobis, quem circumferimus, pulvis ingeminet: *Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices veſtræ*. Quotquot inter homines degimus, velimus nolimus, *in labore*, ut ait S. Iſidorus, *vivimus, in dolore morimur, in pulverem revertemur*. Nimirum quas in Regem Tyrium armavit olim minas Deus: *Dabo te in cinerem*: noſtra in nos armat hu-

Job. 13. 12.

Lib. 6. 13.

Ezech. 28. 18.

manitas. *Agnoſcat ergò*, juvat ſic rem cum Auguſtino confi- *Auguſt. de Verbis Domini.* cere, *agnoſcat ergò ſe homo mortalem, & franget elationem*; nec Filius mortis immortalitatem in pulvere collocabit, ſed è pulveris meditatione conquiret; atque, ut ſibi dictum jure ſperet, & velit, *ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*: *Pſ. 81. 6. & 7.* illud ſibi prius animo altè defixum maneat, *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis*.

ORA-



ORATIO
Feriâ Quartâ Cinerum

Habita in Templo S. Sabinæ
Anno MDCCXIII.

MNES *morimur*, BEATISSIME PATER, *omnes sicut aquæ dilabimur in terram*. Quid ergo est? An ubi *memento* illud insonuit, fracti animo contristabimur, *sicut & cæteri, qui* 2. Reg. 14. 14. Eccle-sia San-cta. ad Thes-sal. 4. 12.

spem

ſpem non habent? Nos quidem ſicut homines moriemur, at quanto cum fœnore, ſi eò tandem mors recidet, *ut filii Dei*
1. Joan. 3. 1. *nominemur, & ſimus*? Dediſcit mors ipſa terrorem, ſi pulveris noſtri conditione contenti illud nobis crebrò inculcemus:
1. ad Corint. 15. *oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Quid multa? Cinerem noſtrum ſedulò cogitantibus fit lætitiæ ſeges ampliſſima ipſa nobis ejuſdem cineris, in quem ſenſim revertimur, cogitatio. Enimverò præclarè agit nobiſcum Deus hoc ipſo, quo reſpergimur, pulvere; ſiquidem huic quandam veluti arrham ſempiternæ felicitatis innectit: ut

nem-

nempè *qui domos luteas* , *&* Job. 4.
terrenum habent fundamentum , 19.
non habere ſe *hìc manentem* ad Heb.
Civitatem intelligentes , inqui- 13. 14.
rere *futuram* ediſcant ; eamque
quæ ſurſum eſt Jeruſalem , *&* ad Ga-
Eccleſiam primitivorum exopta- lat. 4.
re. Quid enim eſſe dicemus, 26.
quamobrem illud olim Deus ad Heb.
Ezechieli præceperit : *ſume tibi* 12. 23.
laterem , *&* *in eo deſcribe Ci-* Ezech.
vitatem Sanctam Jeruſalem ? 4. 1.
niſi ut oſtenderet hominem *de*
limo terræ formatum , non Gen. 2.
illius modò *cœleſtis Urbis Je-* 7.
ruſalem beatitudine obſignan- Apoca-
dum , ſed ita penitùs infor- lyp. 2.
mandum , ut in ejus quodam-
modò imaginem , de claritate in
claritatem tranſiret. O' incre-
dibilem Dei ergà homines

amo-

Psam. 102. 13. amorem! *Recordatus est quoniam pulvis sumus*; ut pulverem hunc nostrum, qui vas
ad Cor. 2. 4. ignominiæ reputatur, *supra modum in sublimitate*, cœlestis
ad Tim. 2. 21. ipse figulus *in Vas honoris* effingat. *Hanc autem habentes*
ad Coloss. 1. 5. *certissimam repositam spem*, quî fieri poterit, ut conditioni nostræ nimium illacrymantes,
ad Heb. 10. 35. *amittere confidentiam nostram velimus, quæ magnam habet remunerationem*? Doleant se esse mortales hi, quibus Vita morte finitur; gaudeant verò quibus beata æternitas inchoatur. Unum decet scelestissimum Cain, ejusque similes de terræ
Gen. 4. 14. amissione conqueri: *Ecce me ejicis hodie à facie terræ*. Hominem cœlo natum, cœlo debi-

bitum decet potiùs illud identidem inclamare: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Gratiæ propterea immortales optimæ ergà Nos omnes Parenti Ecclesiæ, quæ cinere Nos provida respergit, & erudit, immortalitati scilicet mortales inauguratura. Cum olim obdurato corde Populum Deo charum *dimittere* nollet Pharao, *ut abiret in desertum, Deoque suo sacrificaret*, Divinæ ultionis indices jactare cineres jussus est Moyses: *Tollite plenas manus cineris, & spargat illum Moyses coram Pharaone, eritque pulvis super universam terram Ægypti*. At quàm secus hodie nobiscum agitur! Cinerem misericordia spargit, non in-

Psalm. 110. 5.

Exod. 6. 7. 8.

Exod. 9. 8. 9.

indignatio, in eoque vitæ auspicium portenditur, non mortis pœna. Retardantem adituros
Exod. 13. 5. *terram fluentem lacte, & melle* armatus cinis absterruit; Nos ad Patriam festinaturos, nostrisque cupiditatibus obluctantes cinis idem vel segnes urget; jamque properantibus vires sufficit uberiores: Atque ita pœna ipsa in gratiam vertitur, & quibus dictum est: *Terra es,*
Gen. 3. *& in terram ibis*, in ipsa terra, ex qua compacti sumus, immortalitas repromittitur. Repromittitur inquam? immò prægustanda nobis persolvitur. Nam quid illud est, quod à se visum Sanctus Joannes commemorat? *Vidi Civitatem San-*
Apocalyp. 21. *ctam Jerusalem novam de-*

scen-

ſcendentem de cœlo, paratam ſicut Sponſam ornatam viro ſuo. Quid inquam eſt? niſi *cœlum* illud *novum plantatum in terra*, quod Iſaias & aſpexit, & prædicavit. Plantatur quippe in terra Cœlum, dum noſtro huic ceno ſpes futuræ beatitatis inſeritur. Paratur in Nobis Civitas Sancta Jeruſalem tanquam Sponſa viro ſuo, ſi jam nunc ejus felicitas pulveri noſtro adhæreſcit, ſique *cupimus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. *Cinerem* igitur *tanquam panem manducemus*, fluxamque noſtri pulveris conditionem ſpei noſtræ vertamus in alimentum; Tunc enim *ſuper flumina Babylonis ſedebimus, & flebimus* Sionis pulcherrimæ recordantes; atque ut

51. 16.

Philip. 1. 23.

Pſalm. 101. 10.

Pſalm. 136. 1.

ut multa in ore erit querela,
ad Roman.6. quis me liberabit de corpore
24. *mortis hujus?* ità quoties *me-*
Gen. cap. 3. *mento quia pulvis es* inſonuerit;
toties, memento quia beatus
eris, inſonuiſſe Nobis exiſti-
mabimus.



ORATIO DE LAUDIBUS
DIVI
ANDREÆ AVELLINI
CLERICI REGULARIS

Habita in Basilica Sancti Andreæ de Valle IV. *Idus Novemb.* MDCCXII.

SI quis hujus amplitudinem Templi novæ Majestatis accessione auctam demiratus, EMINENTISSIMI PRINCIPES, insolitæ autem celebritatis cau-

ſam ignorans, Apoſtolo potius Andreæ, cui hæc ipſa magnifica Ædes dedicata eſt, quàm addito nuper Sanctorum faſtis ANDREÆ AVELLINO, ejuſdem etiam in utroque nominis errore deceptus, ampliſſimum hunc religioſæ magnificentiæ honorem exhiberi putet, ille certè ſapienter errat, atque feliciter. Tanta enim virtutum omnium propinquitate ſe ſe Andreas uterque contingit, ut honor alterius in alterum planè redundet; idque adeò videri poſſit divino factum conſilio, ut quemadmodum rebus præclariſſimè geſtis, & cœleſtium morum affinitate Alter Alteri ſimillimus in pluribus fuit, ita non modò communicato no-

nomi-

mine, ac genere ſanctitatis invicem ſe ſe repræſentarint, verùm etiam communicandis honoribus, quos Excellentium Virorum meritis Eccleſia ſancta decernit, ſuum hoc Apoſtolus Templum cognationis jure potius, quàm hoſpitii, Avellino ſic adornaverit. Quamobrem, cum res ipſa poſtulet, ut hodierna ſibi concinat, atque conſentiat Oratio, eas potiſſimum in Andream noſtrum conferet laudes, quas ſacri præcentione carminis priſco illi, Sanctiſſimoque ſingulis Annis perſolvit Eccleſia. Hæc enim illum verè quidem, ac magnificè laudat, cùm *Chriſti famulum*, *dignum Dei Apoſtolum*, *Germanum Petri*, & *ſocium in paſſione*

commemorat. Quibus ego titulis cum oſtendero, noſtrum etiam Andream Avellinum quodammodò inſigniri, ſatis, ut ſpero, Auditores, pro veſtra in eum pietate, laudatum à me judicabitis.

Atque illud in primis reputate vobiſcum quotquot ad hujus diei celebritatem conveniſtis, non eſſe mihi ad ejus exemplar Apoſtoli tam affabre, atque concinne pingendam Avellini effigiem, ut ſuis omnibus lineamentis, & coloribus ad vivum expreſſa vobis offeratur. Quî enim fieri poſſit, ut quantus ille fuit, animiſque veſtris concipitur brevi orationis ambitu, & quaſi telâ pictus appareat? Quin ego potius

tius paucis, & extremis tantùm lineis, quod nec laude caret apud Pictores, ità illum vobis objiciam, ut quamvis operi multum desit, non temere tamen à me dictum putetis, in utroque Andrea simillimam in plurimis fuisse Vitæ, ac Sanctitatis imaginem. Neque enim casu aliquo factum crediderim, ut post confecta primæ spatia ætatis ad arctiorem Christi servitutem convolans in Beatissimi, & Gloriosissimi CAJETANI Familiam, Andreæ sibi potissimum nomen Avellinus adsciverit, ejus nempè Apostoli, quem, & natu grandiorem à Navi, & retibus ad eandem sortem, atque ad splendidiorem omni Regno famu-

latum Divina vox evocaverat. Quanquam vel ipſa incunabula, feſtinatis gratiæ cœleſtis inſignibus, nobiliſſimum eum fore Chriſti famulum non obſcurè portenderant, cum ſe ſe in Infante prodiret mirus in crucem amor, quam ſcilicet accedentibus cum ætate viribus toto animo amplecteretur, ac tanquam ſervus fidelis poſt veſtigia Domini tolleret, nec unquam dimitteret conſtantiſſimę teſſeram ſervitutis. O ſpectaculum Deo, Cœlitibuſque digniſſimum! Cum ſacro illo, ſaluberrimoque ſigno lactens adhuc ſe ſponte muniret, nihil magis geſtiens, quàm ut expeditis à Nutrice brachiolis, ſemel, iterum, ſæpius crucem

effor-

efformaret, quæ nempe ipſum luſtrali fonte à Dœmonis captivitate jam vindicatum Chriſto arctiùs adjungeret. Quid enim agebas Infans beatiſſime, quid tua illa manus augurabatur? tam ſæpe, tam præter ordinem naturæ, ætate tam tenera, & quæ myſteria crucis ignoraret, hanc tamen unam Chriſtiano ritu, & more conformans? Nimirum te jam inde Chriſto mancipabas, jam inde affigi cum Chriſto in cruce cupiebas, jam inde nihil tibi erat magis in votis, quam ut verum te probares Chriſti famulum, ſi quam alter Andreas jam ſenior, jam morti deſtinatus tanto animi ardore ſuſpirans amplexus eſt crucem,

vix ipſe natus non diſſimili ſignificatione amplecterere. Nec ſanè alia de cauſa crediderim, Auditores, peculiarem uni datum ab Ecclesia Chriſti famuli titulum, etſi reliquis communem Apoſtolis, niſi quod Andreas crucem ardentius dilexerit. Ideò præ ceteris ille unus Chriſti famulus appellatur, quia quantò quiſque magis crucem amat, quantoque alacrior in cruce perſiſtit, ac moritur, tantò illi debetur magis plena hæc honoris appellatio, iſque præcipuo quodam, & proprio jure Chriſti famulus dicendus eſt. Et noſter quidem Andreas tam illuſtria in cunis rudimenta initæ cum Chriſto ſervitutis ità per omnis ætatis

gra-

gradus ad extremam usque senectutem perfecit, atque complevit, ut nec alia stipendia, nisi labores, & cruces, nec mercedem aliam, nisi Deum, sibi proponens, majoribus in dies incrementis auctus Sanctitatis cursum verè consumaverit, fidemque servaverit, nullis unquam illecebris, quibus austerior etiam virtus tentari solet, ab sectandis Domini sui vestigiis avocatus, aut minùs alacer factus. Non illum blandimenta Naturæ, non æqualium in adolescentia liberior consuetudo, non quæ ad frangendos Adolescentium animos tam sępè valet muliebris forma suis præsertim instructa dolis; non in reliqua ætate propositi metus,

non

non minæ, non verbera devium unquam, aut transfugam à Christi servitute ad mundi libertatem abegerunt. Quæ omnia ut paucis complectar, illud habete, Auditores, & omnium complexione virtutum, & jugi divinarum commentationum studio, & assidua Verbi Dei legendi, audiendique curâ ita institutam ab eo vitam videri posse, ut semper à nutu Domini sui penderet, ejus semper voluntatem exploraret, ejus sequeretur exempla; Oculis tandem in illum semper intentus, quod Regius optabat Psaltes, non modo sedulitatem Ancillæ imitaretur, cujus oculi videantur esse in manibus Dominæ suæ, verùm etiam æmularetur, ac vinceret.

ret. Quod sì gradu quaſi facto aliam ducere velimus lineam, noſtrumque Andream ut dignum Dei Apoſtolum ad ſui exemplaris formam exprimere, quem unquam exitum inveniet Oratio? Nam quis dicendo aſſequatur quanta fuerit Apoſtolici Viri aſſiduitas, & induſtria in eo genere piſcationis, quod Andreas Apoſtolus Piſcator hominum factus, relictis retibus, & navi, tanta cum Dignitate ad extremum uſque Vitæ ſpiritum conſtanter exercuit? Et Ipſe quidem vel à puero ad hanc ſortem vocatus tam patulas, atque dociles præbebat aures chriſtianæ doctrinæ magiſtris, ut ex eo pronum eſſet ſperare, non ſatis illi fore, ſi

ad

ad normam eorum, quæ avidè perdiſcebat, vitam exigeret, niſi etiam ad alios erudiendos magiſtrum ſe jam indè formaret. Nec ſanè pulcherrimam expectationem fefellit eventus. Improvidam puerorum ætatem ipſe admodum adoleſcens vicatim, atque per pagos excurrens Chriſtianis informat myſteriis, atque ad Chriſtum adducit; ad eum nempe, qui parvulos ad ſe venire cupiebat, cum talis in evangelica piſcatione multiplex plerumque ſoleat eſſe proventus. Id nempe alius etiam antiquior intellexit Andreas, cum paſcendæ multitudini unum adeſſe puerum cum paucis piſciculis Servatori Optimo indicavit: qua in re conſecuta tot eſurientium

ſa-

ſatietas illud Apoſtolicis viris eventurum oſtendit, ut qua eſca pueros caperent, eâdem firmior ætas, & numeroſior turba caperetur.

Nec certè mirum, quod popularibus ſuis in Ipſius vitæ primordiis jam tum apparuerit, qualis in provectiore futurus erat ætate, Chriſti nempe famulus, ac dignus Dei Apoſtolus. Hoc ut perfectè aſſequeretur; clericali militiæ nomine dato, Neapolim eſt profectus humanioribus literis, legalibus diſciplinis, ac altioribus Religionis ſtudiis in ſui, & Proximorum utilitatem ſtrenuè vacaturus. Adeo verò ibi Avellinus noſter ſapientiâ excelluit, & gratiâ, ut Juris utriuſque

lau-

laurea decorari meruerit; & ne ſibi concredita à Deo talenta Vir evangelicus ſineret eſſe inutilia, ad actitandas pro pauperibus in foro tantùm eccleſiaſtico cauſas miſericorditer ſe convertit; ſed quid? ob leve, quod ſibi dum patrocinandi ardore raperetur, mendacium die quadam obrepſit, facti pœnitens, ac amariſſimis lacrymis erratum execrans, ab Advocatione receſſit; & ſacris Ordinibus initiatus, ſanctiſſimo Viro Joanne Marinonio adhibito conſcientiæ ſuæ moderatore in ſortem Domini verè, ac plenè ſe tranſtulit. Relictis igitur, ut ità dicam, retibus, & navi ea fermè ætate, quâ Apoſtolus Andreas ſecutus eſt Chri-

ſtum,

ſtum, nempè vigeſimo ſeptimo anno, totum ſe Deo ſuo mancipavit; & quamvìs à puero ad hoc uſque tempus inter ſeculi illecebras, mundique pericula ſanctè vixiſſet, mos tamen illi deindè fuit hæc pœnitentiæ ſuæ primordia nuncupare. In cœleſtium itaque amorem totus exardeſcere viſus eſt, dum ſalutis animarum zelus ipſius præcordia depaſcebatur: Dignus proindè cui regimen Sacrarum Virginum, quæ à veteri diſciplina receſſerant, committeretur, onus verè difficile, ac planè arduum. Harum Cęnobio pręfectus Avellinus, incredibile dictu eſt, quantùm elaboraverit prudentiſſimus Paſtor, ut concreditas

ſibi

ſibi oves à venenatis libertatis paſcuis ad ſalubria, ac virentia perfectionis prata traduceret; ut lupos gregi ſibi commiſſo inſidiantes arceret; ac demum pro demandata ſibi Ovilis cuſtodia ſtrenuè, animosèque decertaret. Pravos igitur dum eliminare mores ex eo Sacrario conatur, illudque priſtinæ diſciplinæ reſtituere divinis, nocturniſque ſtudiis contendit, paratus pro Oviculis ſuis etiam animam ponere, impiorum hominum ſæpè impetitus inſidiis, tribus demùm in facie vulneribus pro Dei ſui gloria æquiſſimo animo toleratis, uſque ad ſanguinem Diaboli artibus ſe reſtitiſſe maniſeſtiſſimè comprobavit. Animoſior Chriſti martyr effectus du-

duriora facere, & pati ultrò moliebatur; atque, ut arctiùs Christo se adjungeret, in Apostolicum Clericorum Regularium Institutum cœlesti afflante lumine supplex recipitur. In eo nuncupatis summa alacritate Votis post annuum exactissimè expletum Tyrocinium, heroicæ virtutis metas jam prætergredi videbatur, adeò in illo emicabant sui ipsius contemptus, & odium. Juges corporis castigationes: penè continua divinorum contemplatio: charitatis, patientiæ, & regularis disciplinæ observantia. Totus indè, piscator hominum factus, in procuranda salute animarum, quæ ad hujus seculi scopulos naufragium miserrimè fecerant,

quâ Fidelium Confeſſionibus excipiendis, quâ Populis verbi divini pabulo reficiendis, quâ Infirmis, afflictis, egenis cæleſti plane charitate conſolandis: corruptos ideò mores, collapſamque pietatem die, noctuque, ubique verbo, & exemplo magna ex parte Andreas, qui *Fortiſſimus* interpretatur, Apoſtolico verè zelo reſtituit.

Eos certè Avellini laborum ſucceſſus tota mirabatur Italia. Quam enim multos ex omni genere hominum congregabat ingens ejus charitas, illius inſtar ſagenæ, cui ſimile dictum eſt Regnum cælorum! Teſtis Neapolis, quæ Apoſtolici Viri zelum ardentiſſimum diutius experta, nullius ætatis,

aut

aut conditionis homines ab eo præteritos vidit. Teſtis Mediolanum, qua in Urbe Sanctiſſimo Antiſtiti Carolo Borromæo tùm charus Andreas fuit imitatione Sanctitatis, tùm in evellendis vitiorum, errorumque ſtirpibus ſtrenuus, ac fidelis adjutor. Teſtis Placentia, quam, & Ipſe à Venerabili Noſtri Inſtituti Epiſcopo Paulo Cardinali de Aretio in partem vocatus Eccleſiaſticæ ſolicitudinis, tam diligenter coluit, atque feliciter, ut celerior nuſquam, aut uberior provenerit fructus. Univerſa teſtis Italia, quæ libris, & epiſtolis Ipſius piè, doctèque conſcriptis; quæ pluribus Sacrarum Virginum Aſceteriis ab eo erectis; quæ multis Matro-

nis à seculi pompis, ac ornatus vanitate per ipsum revocatis, edocta, Doctorem suum, Patrem, Restitutorem agnovit. Jam verò Testis hæc ipsa Cajetani Sanctissimi Parentis nostri Familia, quæ ab Ipso & studiorum incrementa, & regularis Observantiæ tenacitatem, & Charitatis in proximos continuationem obtinuit, & quæ quandiù erit, tùm domesticis ejus vigebit exemplis, tùm ad Apostolicæ vitæ genus ejusdem ardore inflammabitur. De Ipso loquantur nostri Ordinis præfecturæ summa cum laude ab eo exercitæ. Loquantur Infulæ pluries ipsi oblatæ, pluriesque ab ipso firmissimè recusatæ. Loquantur & munus Pœnitentiarii

tiarii

tiarii ex ſpeciali Summi Pontificis facultate ubique exercendum ab eo, in quo maxima uſus eſt prudentia; & frequentiſſima undique Principûm obſequia ſibi impertita ab eo ſtudioſiſſimè declinata, & dicent: tanta ſemper Andream in omnibus humilitate reſplenduiſſe, ut abjectiſſima quæque Comunitatis munia ipſe primus obiret. Quodque omninò tacendum non eſt: Ipſe idem, qui magnum in Dæmones exercebat imperium; qui orando cœleſti luce fulgebat, & extaſi rapiebatur in Deum; qui pluries Chriſti Domini humanitatem aſpexerat; qui Deiparæ, cujus quidem cultum impensè coluit, ac promovit, familiariſſimus erat; quique

cum Beatis Spiritibus, & Sanctissimis Augustino, Dominico, & Thoma Aquinate serere colloquia promeruerat, ità tamen demissè de se sentiebat, ut se mundi probrum, ac scelestum peccatorem vocitaret. Ecquis erit, qui Virum hunc Dignum Dei non putet Apostolum?

Agite jam quæ supersunt duo prosequamur Argumenta. *Germanus Petri, & in passione socius* primus ille fuit Andreas, qui nisi fratrem esset imitatus virtute, tùm etiam mortis causa, & genere, non eum certè his titulis nobilitasset Ecclesia. Quid enim laudis habeat, si magni alicujus Ducis, ac Triumphatoris quis frater esse dicatur, nisi prærogativam sanguinis, &

fortunæ rerum geſtarum æmulatione, & gloriâ ſplendidiorem efficiat? Nihil ergo jam vetat, quin Avellinum Petri Germanum nuncupemus, qui Petri zelum in ethnica ſuperſtitione fuganda, inque hæreſum monſtris, & latebris detegendis, ac profligandis ſtrenuè ſit imitatus; qui Apoſtolicam Petri paupertatem heroicè ſit ſecutus; qui juges Petri lacrymas ex corde ſemper expreſſerit; qui Petri amorem erga Dominum, ac Deum ſuum in corde ſemper habuerit. Germanus erat Petri, non quidem Sanguine, quem in venas hauſiſſet, ſed quem voluntariè ſuſceptis verberibus, aliiſque ſæviſſimis corporis afflictationibus, paratus ut Petrus in Cru-

cem, & mortem ire, ſui tortor aſſiduus, etiam in extrema ſenectute fundebat. Germanus Petri, non ſanè iiſdem natus parentibus, nec eâdem in terris patria, ſed eo genere conſanguinitatis, qua Petrus cum Chriſto, & qua, ut quisque magis nititur perfectus eſſe ut Pater cęleſtis, eò confidentiùs, ac veriùs eundem cum Petro, atque adeò cum Chriſto in Cœlis habet, atque invocat Patrem. Germanus Petri, non autem ejuſdem artis conditione, & quæſtu, ſed ejuſdem ſorte miniſterii, cum dies, noctesque in labore, & erumnis, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, in plagis à Dæmonibus ſuprà modum, ad

omnes

omnes expositus æstatis injurias, nec animam suam faciens pretiosiorem quam se, evangelica laxaret retia, seque totum piscationi, ac prædæ Animarum, quę illi tam copiosa obveniebat, magno ardore Charitatis impenderet. Germanus tandem Petri, non ejusdem consors hæreditatis, quæ sępè fraterna fovet odia, sed ejusdem particeps virtutis, quæ vel extraneos fraterno amore conjungit; cum verè Vir Apostolicus unum ex Apostolis Petrum, si vitam ejus introspexerimus, imitandum sibi proposuisse videatur. Quare cum Christi Fratrem, Origene teste, faciat virtus, non erit dubitandum, quin etiam Petri Germanus hic alter dicatur Andreas, qui Chri-

ſto ut eſſet ſimilior Petro ſe ſimilem reddidit.

At enim cur etiam Socius in Paſſione dicatur? Eſto hactenus dicta utcunque probata ſint, hoc tamen haud ità facilè perſuaſeris. Quos nempè hoſtes, quem Tyrannum invenies, qui crucem paraverit homini, ſingularis opinione virtutis, infimis æquè, ac ſummis chariſſimo, quem omnes tanquam è cœlo delapſum, incredibili animorum conſenſu Virum cœleſtem apellabant, Sanctiſſimumque vocabant; In cujus dictis, factiſque neſcio quid homine majus admirabantur; in quo denique vivam, & expreſſam ſuſpiciebant Sanctitatis effigiem? An illum ad mortem rapuerint, qui arcana cor-

dium

dium revelantem audirent; qui morbos abigentem intuerentur; qui eventura vaticinantem obstupescerent; qui elementa pro nutu regentem viderent? An Populi beneficiis obruti, ac stupore correpti ad Crucem traxerint illum, cui, quasi Naturæ Domino, morti proximos, aut ereptos revocare ad Vitam, pluvias cière, tempestates sedare, mari ac ventis imperare, baculi nutu bestiarum feritatem compescere, omnia denique ad suum arbitrium moderari, & flectere familiarissimum erat? Profectò non in barbara quadam Regione, sed in Urbe florentissima, inter oscula, & lacrymas Civium, inter Fratrum suorum amplexus, annis perindè, ac virtutibus plenus,

nus, placidè compositus expiravit. Hunc autem Petro in passione Socium erit qui credendum putet? Erit profectò, Auditores, in eamque Vos ipsi sententiam ibitis, cum illud compertum habeatis, esse quædam etiam incruenta martyria, occultas cruces quotidianas mortes, in quibus perferendis minus quidem sit accerbitatis, non minor tamen gloria fortitudinis, atque constantiæ. Dicam igitur quod sentio, quodque inficiari nemo vestrum queat: Quanta fuit Avellini Vita, fuit autem quàm longissima, tota in Cruce fuit, nec prius ille in Cruce desiit esse, quàm vivere. Hanc Infans ità vidit, ut, quantum id ætatulæ patiebatur, dilexerit: Ità dilexit,

xit, ut, quod erat portento ſimillimum, unicè concupierit: ità deniquè concupivit, ut inſtar Apoſtoli ad illius conſpectum ſuaviſſimè ſuſpirantis, exiliens à cunis illicò advolarit ad crucem. Non enim ſuffragia maturioris expectavit ætatis, ut Chriſto confixus naturæ cupiditates configeret, ſed ſtatim ſibi moriens vitam inſtituit martyrio perſimilem: ad Carnem enim ſuam quamvis puriſſimam, atque virgineam perdomandam duriſsimo ſtramine pro molli culcitra contentus, noctes vel ducebat orando inſomnes, vel ſtudiis & quiete breviſsima tranſigebat; immò ut humanas frangeret appetitiones, vireſque enervaret, ſingulis ferè noctibus ad ſangui-

nem

nem usque se flagellabat; Nec satis hoc ipsi erat, nisi à carnibus etiam, cæterisque ferculis abstineret, ac pane tantùm, & aqua, paucisque leguminibus, & herbis miserè victitaret. Et cum hæc omnia minimè ejus explerent animum, alios præterea rogabat, ut diris eum flagris, multisque contumeliis peterent, impeterentque. In hac tam aspera, austeraque Vitæ disciplina, quasi in Petri, ac Andreæ durissima cruce, fractæ nunquam vires, immò *fortissimus* re, & nomine Andreas, etiam octuagenario major constantissimè perstitit eo maximo, quo cor ejus æstuabat ardore, ac tanto divini amoris igne, ut majora pro Domino suo pati exoptaverit semper. Cruci-

fixus

fixus ergò est & Ipse, juxtà illud Divi Pauli ad Galatas: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*. Quod si semel, iterumque à perditissimis hominibus plagas accepit, eò quia Sacrarum Virginum cœtum ab eorum insidiis pro virili vindicasset; cur non, Augustino interpretante, geminam eam percussionem intelligamus duo ligna crucis significasse; nec Avellino defuisse tùm causam honestissimæ Mortis, tùm animum ad eam fortiter obeundam, tùm Crucem, quam sanguine suo consecrarit? In quo & eidem Apostolo similis fuit, quem vindicem virginitatis accerrimum non tulit Tyrannus, sed agi jussit

ſit in Crucem . Quid quod ut nunquam divelli poſſet à Cruce, in eam adoptatus Familiam, cujus proprium inſigne Crux eſt, conſuetis religioſæ Profeſsionis vinculis ea duo addidit, quæ nonniſi Crucis quidam amor incredibilis excogitaret? Alterum nempè, quo abnegandam in omnibus propriam voluntatem ſanctè recepit; Alterum, quo gradum aliquem in Evangelicę Vitę ac perfectionis inſtituto quotidiè faciendum ſibi præſcripſit? Quid quod ſingulis diebus immaculatum immolans Agnum, in eo etiamApoſtolum ſuum imitatus, nihil tunc ardentius petebat, quam ut Ipſe Domini ſui victima occumberet; qui & ſepulcra martyrum inviſere ſolitus, pul-
cher-

cherrimam illis invidebat ſortem, nec minus deſiderio ſuo cruciabatur, quam olim Martyres ferro? Quid quod ardentiſsimis ejus præcibus annuens Deus & malos Dæmones, & brutas animantes, & homines, & morbos in illum ſævire permiſit, qui tamen mitiùs cum eo agebant, quàm Ipſe optaret, aut quàm Ipſe ageret ſecum ſui hoſtis inſenſior? In morte denique ipſa non fuit à cruce disjunctus, qui lapſis jam viribus diſſolvi cupiens, & eſſe cum Chriſto, ad rem divinam pro more faciendam perrexit. Hìc ſe cruce obſignans, & prima iterans tanti Miniſterii verba, *Introibo ad Altare Dei*, lethali Apoplexiæ Symptomate oppreſſus, non

multo poſt eodem menſe, quo magnus Andreas Achajæ, ad illud Agni cœleſtis Altare introivit, quod laudibus, ac thure Sanctorum adoletur in Cœlo, ſicque Sanctiſsimam Vitam felici planè, atque invidenda morte concluſit.

Fruere igitur, Andrea Beatiſsime, tuis iſtis tam excellentibus titulis, quos non amoris quædam, aut pietatis aſſentatio, ſed eximia, & in gradu heroico tua Virtus, & rerum magnarum in Vita geſtarum fama cum Andrea Petri Germano comunes Tibi eſſe declarat. Ex quibus quidem Apoſtolis, fraterno penè dixerim jure, ſuum Tibi Uterque Templum exornari magnificè voluit: Petrus, ut in ſuo Sanctum

ctum te pronuntiatum Christianus Orbis audiret: Andreas,ut in isto profusioribus gaudiis tantum Tibi partum honorem Romæ gratularetur. Oh satis nunquam de tuis Virtutibus, ac laudibus dictum! Nec sanè deerunt qui pro sui ubertate Ingenii de tuis amplissimis in Vita meritis, de tuis post obitum tot, tantisque miraculis multa, & vera dicent; quid autem dicent, quod si expectationem vincat, & fidem, non ipsâ tamen rerum copiâ, & magnitudine superetur?

Quare quod extrema petit Oratio; CLEMENTI primùm UNDECIMO, Pontifici Optimo, Beneficentissimo gratias, quas habemus immortales, agimus,

quantum possumus; maximas, quod nimirum è nostra Clericorum Regularium Familia eum Sanctis adnumeraverit, qui & CAJETANO Parenti suo Sanctitatis hæres, & nobis ejusdem filiis grandior natu Frater apostolicæ institutionis Magister extiterit. Deinde verò parem tanto beneficio gratiam cum referre non valeamus, hoc ex te humillimè poscimus, Andrea Beatissime, ut qui jam emeritis tanquam *Christi famulus* ditaris in Cœlo stipendiis; & non modò, ut *dignus Dei Apostolus* aureâ bearis coronâ, sed etiam ut *Petri Germanus*, *& in passione Socius* felicissimo Augustæ Triadis obtutu frueris, id efficias, ut Ipsemet

met omnium Largitor bonorum Deus, qui dat omnibus affluenter, illud plurimum, quod tanto debemus Pontifici, eidem maximâ, qua ſolet, liberalitate perſolvat.

FINIS.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Apoſtolici Palatii.

T. Cervinus Epiſcopus Heracleæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Gregorius Selleri Sac. Apoſt. Palatii Magiſter, Ordinis Prædicatorum.